

12.

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad

Exequias

Juvenis Humanissimi atq; Politissimi

D^N. GEORGII ABRAHAMI

SCHUBARTI, Zittaviâ-Lufati,

Phil. & SS. Theol. Stud.

post auditam pom. I.

Cives Academicos

invitat.



Regia vox erat Ludovici XIII
Galliarum Regis, cum interfe-
cto per dolosam vim Magno Pa-
rente, augusto solio admo-
vendus, in Civitate Rhemensi prius
coronam suscepisset, & (quæ
lenta & splendida inauguratio-
num solet esse Majestas) per septem horas ornamen-
torum regionum pondere tantum non oppressus,
præ anhelationibus ac sudoribus vix apud se esset.
Paratum se esse corpus puerile iisdem oneribus de
novo submittere, si spes affulgeret fore, ut novum et-
iam acquireret regnū. Ita ampliandæ potentiæ libido
supplebat ætatem, ita tenerrimum animum ab omni
doloris affectu liberabat, ut non radicis amaritudi-
nem, sed florum exinde nascentium dulcedinem, non
sudorem, sed sudoris præmiū attentis versaret co-
gitationibus, nec quæ prius patiēda, verum quæ po-
stea essent acquirēda, accuratè perpenderet. Nos
qui à Christi nomine gerimus nomen, destinati su-
mus, si non natura & hæreditate, certè tamen ado-
ptione & gratiâ, ad illud Regnum, cui comparata Gal-
lia

lia sordet, Europæ Imperium servitus, universi Orbis possessio miseria est. Magnam enim in caelo mercedem, ipsamq; vitæ coronam expectare jussi, in hac vita variis exercemur ac perficimur calamitatibus, ut Regno tam illustri & splendido inaugurati, per irruptam seculorum seriem, sub directo indulgentissimi Creatoris dominio, & cum socio, & sine subdito, non tamen sine maxima tranquillitate regnemus ac gubernemus. O felices igitur, qui, ne videantur oneri tam levi & jugo tam placido colla subtrahere velle, omnia prementis miseriæ pondera æquo animo assumunt, & in sudore dulcedinem, in anhelitu quietem, in molestia lætitiæ certissima expectatione percipiunt, & tanquam filii lucis, hujus seculi filiis tolerantia atque circumspectione palmam præripere student. Annus eò est pro virili Humanissimus atque politissimus Juvenis Dn. GEORGIUS ABRAHAMUS SCHUBARTUS Phil. & SS. Theol. Studiosus, quem Deus pro sua imperscrutabili voluntate, lecto emortuali per aliquot dies affixum, ex servitutibus humanis ad æternæ felicitatis ac lætitiæ regimen transtulit & evehit. Is non solum contemptis studiorum difficultatibus, ad caducas earundem laureas aliquando aspirare decreverat: sed magis præfixo æternitatis scopo tam in reliqua vita, quam in beatæ ἀναλύσεως termino, talem se gerebat, ut raro &

):(2

com-

commendatissimo exemplo, bonum Christianum, & egregium coronæ cœlestis candidatum, testantibus omnibus aut expresserit, aut exprimere voluerit. Primum quippe odorem servabat testa, & quam in partu patiendi necessitatem instillaverat temporis injuria, in ipso vitæ progressu non agnoscere nefas ducebat animus tam probè confirmatus. Parentem enim nactus Virum Reverendum atque Doctissimum Dn. ABRAHAMUM SCHUBARTUM, Ecclesiæ VVeigsdorfensis in Lusatia superiori Pastorem: Matrem ANNAM PIETSCHMANNIAM, foeminam omni virtutum laude conspicuam, anno currentis seculi 46. vitæ hujus lucem primo aspexit, in pago prope Zittaviam, cui nomen tum temporis sine nomine *Friedrichsdorff*. Ibi suos vagitus non hypocausto aut composito cubiculo, sed vasto atque fragili horreo obtulit, cui fortè absumptis cum templo & parochia ædificiis, flammæ impedita vis pepercerat, ne deesset locus, quem misera Parens in pariendi propinquitate belli furoribus opponeret. Sic nihil reliquum fuit recenti puerulo, quam quod haberet Parentes, qui in extremis adversitatum inundationibus sacri lavacri non obliviscerentur, cujus beneficio, Christianus non natus, per regenerationem spiritua-lem accederet ad æternū in hoc mundo *πολίτευμα*, ascriptusq; divinæ gratiæ, sub ejus vexillo strenuè militare disceret. Nec in hoc Patris acquievit cura.

Nam

Nam ubi vix à labellis materni lactis absterfisset reli-
quias, ita teneram ætatem lacte Catechetico innutrit,
ut dubium esset, an corpusculum an vero animula fe-
licioribus exponeretur faginis. Accessit ad hoc mira
dexteritas, quæ innatas menti scintillas continua ex-
citatione provocavit, aptasq; ad amplectenda litera-
rum studia vires exploravit: donec annos natus sex,
doctrinæ ac sapientiæ mercimoniis initiandus ad pe-
des Patru sui se conferret, Viri Reverendi atq; Do-
ctissimi Dn. CHRISTIANI PIETSCHMANNI, tū
temporis Scholæ Scidenbergensis Cantoris, hodie
Ecclesiæ Taubenheimensis Pastoris, quem filiali a-
more ac observantia, maximè verò adhibita in ele-
mentis humanioribus diligentia mirificè honoravit.
Tandem Præceptor de nepote tam ingenuo & Disci-
pulo tam modesto plurimum sibi gratulatus unanimi
suorum consensu, scholæ Zittaviensi lampada trade-
re decreverat, ut quem per tres annos hætenus cu-
rasset, majori sedulitate expoliendum aliis relinqve-
ret. Neqve illa optimæ indolis furculum sibi grava-
tim inferi passa est, succedente in Parentis locum Vi-
ro honoratissimo Dn. CHRISTIANO SCHUBARTO cive
apud Zittavienses non infimæ cavæ, ubi tam pulchra
pietatis ac probitatis edidit specimina, ut Patronum
inveniret Generosum ac Nobilissimum Dn. JOHAN-
NEM GEORGIUM ab Oberländer / Toparcham in
Ober-Leutersdorff / qui postquam variis eum or-
nasset

):(3

nasset

nasset beneficiis, aditum tandem fecit ad Virum Integerrimum arteq; ac industria spectatissimum Dn. HEINRICUM LEUPOLDUM Civem ac Pharmacopœum nominatissimum, ubi suaviter delitescere, & pro gubernandorū filiorum opella, reciprocam benevolentiam sibi suisq; facile potuit acquirere. Atq; ut istud attingamus, cujus gratia potissimum adierat Zittaviā, Præceptoribus usus est Viris Clarissimis, Per Eximios atq; Doctissimis Dn. GEORGIO KRANTZIO, Dn. SIMONE CRUSIO, cui ob artis Musicæ non contemnendam notitiā libenter adhæsit, Dn. M. ANTONIO GÜNTERO Conrectore, & Dn. M. CHRISTOPHORO VOGELIO Rectore. Præcipuè tamen & privatam & publicam excolatus est manuductionem Dn. ELIÆ VVEISII, scholæ ejusdem Tertii meritissimi, cujus memoriā in ipso mortis agone nondum deposuerat, sed potius ardentissimis à Deo votis contēdebat, ut quæ per vitæ brevitate, fortisq; tenuitate non potuisset retribuere, ipsi pro sua immensa ac paterna gratia largissimè dignaretur refundere. Ex quib⁹ satis constat, quod, cum superioribus nundinis vernalibus nostram peteret Academiam, sine consensu atq; arbitrio suorum Præceptorum factum non fuerit. Quare etiā evenit, ut Dn. Professores sedulum Auditorem, Commilitones honestum & candidum sodalem, omnes quietum ac modestū studiosum invenirent. Et quia ad studiū Theologicum in omnibus actionibus respiciebat, ne illotis
ad

ad rem tam arduam accederet manibus, Virum Plur.
Rev. & Excellentiss. Dn. JOH. ADAMUM SCHERTZERUM
SS. Th. Doctorem publicè Hebraica docentem audi-
vit; Philosophiæ verò præcepta tum ex ore Excellen-
tiss. Dn. JAC. THOMASII Prof. P. tum ex mea, nunc Re-
ctoris, publ. atq; privata informatione graviter hausit,
id unicum in votis habens, ut vacuum temp^o à manu-
ductione puerorum hinc inde confluentium, Parentū
& Præceptorum expectationi feliciter liceret impen-
dere. Deus tamē laborum facturū compendiū, post-
quā eum capitis dolore, vertigine aliisq; notæ levio-
ris symptomatibus suæ fragilitatis admonuisset, die 2.
Nov. in lectum coniecit, ubi conspirantibus cum æ-
stu maligno catarrhis, maximam sensit cordis angu-
stiam, quæ & accuratissimam Medici ac Chirurgi o-
peram illuderet, & in omni lucta naturæ resistentis vi-
res supprimeret. Conversus igitur ad animæ curam,
cum ante paucas septimanas peccatorū suorum seriē
exposuisset in sinū Dn. Confessionarii, Viri Plur. Rev.
atq; Excellentiss. Dn. Gottfridi Christiani Bosii SS.
Theol. Lic. & ad D. Nic. Ecclesiastæ, ejusdem sacris ac-
clamationibus ad felicem emigrationem se præpara-
re voluit, quem etiā sine loci aut temporis exceptione
promptissimum vidit, gratoq; animo plus vice sim-
plici deprædicavit. Sic enumeratis diebus non ita
multis, ipsis Calendis Decembr. circa meridiem, in-
ter pia astantium vota, postquam Parentum & Præ-
cepto-

Nicolaus die anni ad hunc cunctis M DC LXXV

ceptorum aliquoties desideratissimam fecisset mentionem, animulam tuam piè & placidè in manus benignissimi Servatoris commendavit, cum annos viginti in hac mortalitate complevisset. Absolvit igitur cursum piè defunctus, servilemque habitum cum coelesti purpura commutavit, & quemadmodum iis, quorum interfuit vivere Schubartum, nostrum dolorem testamur, ita ipsi vicissim de brevi superatis malis & adversitatibus gratulamur. Faxit Deus, ut perterriti hoc nuncio Parentes ad ipsius Voluntatem sua desideria componant, & in filiis, quos adhuc in Patria amplectuntur, spei & solatii compensationem sentiant. Refarciat dexterrimis Præceptoribus, quod hoc loco aut frustra aut aliter expectarunt; Retribuat amicissimis Conterraneis, quod in juvanda sodalis miseria nec vigiliis nec laboribus pepercerunt. Et quemadmodum in extremo die universus Judex, beneficia pauperioribus exhibita solenni & publica ornaturus est commendatione, ita & tunc nolit oblivisci, & jam gratiosissimè recordetur eorum Patronorum & benefactorum, quorum munificentia, quæ deducuntur exequiæ constant. Nos & Christianæ charitatis nostrique officii memores, quas in hac mortalitate reliquit exuvias, apud communem matrem deponemus. Quare nostros, ut in hoc vicissitudinis humanæ speculum inspiciant, ultimumque aut clienti favorem, aut Commilitoniam amorem testentur, & suâ frequentia comitatum reddant auctiorem, præsentibus jubemus. P. P. ipso Nicolai die anni ad finem currentis M DC LXVI.